# COLLEGI FEUDALIS
Disputatio tertia
# DE
# INVESTITURA ET SUCCESSIONE ACQVIRENDI FEUDI MODIS.

*Quam*

Divino favente Numine

*Ex Consensu Magnifici & Amplissimi JCtorum in Illustri SALANA Ordinis,*

PRÆSIDE

*Viro Amplissimo ac Consultissimo*


Dn. DOMINICO ARUMÆO

JCto celeberrimo, P.P. Collegii Juridici quod JENÆ est Seniore, ibidemque Curiæ Provincialis ac Scabinatus Assessore dignissimo, Fautore ac Præceptore suo suspiciendo.

*Publicè ventilandam proponit*

SALOMON Schultz/
TORUNENSIS BORUSSUS.

*Ad diem 22. April. in Auditorio Juridico.*




JENÆ
PRÆLO JOHANNIS WEIDNERI,
Anno clɔ cI CXX.

10

# COLLEGII
## FEUDALIS,

### DISPUTATIO III.

## Thesis I.

*LUstratis Personis quæ Feuda dant & accipiunt, cognitisq́ʒ quæ in Feuda dantur rebus; nunc quibus hæ nobis cedant media indagabimus. Duo verò* a) *sunt acquirendi* b) *Feudi modi. Investitura* c) *& successio. Illa est Vera vel Præsumta.* d) *Vera rectè definitur,* e) *quod sit solennis Feudi* f) *cessio, à Domino, ei, quem Dominus pro Vasallo habere potest facta, vel in re præsenti, & Propria,* g) *vel in absenti corporeo aliquo signo tradito, & Abusiva* h) *appellatur.*

a) *2. Feud. 1. in fin. 2. F. 11. 2. F.* 33. Plures enim non agnoscimus

mus, uti nec ab aliis huc relatam judicis sententiam propter *l.7.ff.de publ. in rem act.*

*b)* Modos Acquirendi à Constituendi modis sunt qui subtiliter distinguunt: Nos cum Feudistis promiscuè hos accipimus, 1.F.15.2.F.1.& 33. *Amplissimus & Clarissimus Dn. Præses, Fautor ac Præptor colendus, disp.feud.5.th.3*

*c)* Quæ etiam Investitio dicitur, 1.*F*.26. & 28. Vox hæc U. F. propria facta *Vult.lib.1. de feud.c.7. num.5.* Neque suâ caret homonymia: aliquando, pro Instrumento circa Investituram facto capitur 2.*F*.58. nunc, pro ipsâ possessione 2. *F*. 2. nonnunquam pro actu investiendi solenni. 2.*F*.1. & 25. &c.

*d)* Eò quod in illa verè fiat, in hac fieri subintelligatur.

*e)* Definitore *Cujac.in c.1.F.1. & Amplissim. Dn. Præside d. disput. thes.5.*

*f)* Vel Novi, vel Veteris 2. *F*.3. hæc jam pridem facti Renovatio rectiùs dicitur: de quibus post.

*g)* 2. *F*. 2. Effectus ejus est quod possessio Feudi statim ad investitum transeat, *Borchol.de consuet.feud.c.7.num.5.7.* quam apprehendit non solùm manibus, sed etiam oculis q. longis manibus *l.1.§.21.& l.18.§.2.ff.de acquir.poss.*

*h)* Hæc ipsam possessionem, adeoq; Dominium Utile in Investitum non transfert, sed tantùm jus possessionis adipiscendæ, 2.*F*.88. *Gothofr.ad c.un.2 F.2.lit.S. Clariss.Dn.Arumæus disp.5. th.9.* Tunc enim Investitus agere potest ad Traditionem 1. *F*. 4. *in pr.2.F.7.in fin.* nec liberatur Dominus præstando interesse §. *si facta de feudo 2.F.26.* Quid si antequam hic apprehendat, alter Investitus in possessionem missus sit? Posterior potior habetur *ex l.quoties 15.C.de R.V.l.30.§.ult.ff.de act.emt.l.6.C. de hered. vel act.vend.* Priori tamen Dominus postquam rei tradendæ potestatem amplius non habet, quanti ejus interest præstare cogitur, *d.l.6.C.de her.& act.vend.* Duobus vero abusivè investitis si non constet utri possessio tradita sit, præsumtio est pro primo, *argum.l.26.ff.locat.Clariss.Dn.Præses disp.d.th.12.* Propria tamen

autho-

authoritate quod possit appræhendere possessionem taliter investitus. Nego cum *Amplißl. Dn. Præs. d. disp. 5. th. 7.*

II.

*Cum Investitura sit Feudi Novi vel Veteris distinctè de utraq;. In Novo spectanda Investitura Antecedentia, Actus ipse, & Accessoria. Quæ antecedunt sunt Tractatus quidam præambulus seu promißio Feudi,* a) *& Investituræ petitio.* b)

*a)* Qui tractatus præcedit non quidem semper, sed plerumque, & tunc licet non tempore, naturâ tamen, *Gothofr. Anton. disp. feud. 4. th. 1. lit. E.* Estque vel pactum nudum, *Niell. disput. feud. 4. th. 1. lit. E.* vel stipulatio & quivis alius Contractus *Wesemb. de feud. c. 6. num. 1.* Donatio, quæ hodiè loco contractus est *l. 35. C. de donat. Niell. d. l. Vult. c. 9. num. 3.*

*b)* Quo tempore hæc Investitura petenda sit determinatum à jure non est. Expectabit igitur is qui de feudo promissionem habet, donec ad Investiruram citetur capiendam, *Wesenbec. c. 8. num. 1.* vel si moram trahat Dominus offeret se illi Vasallus ad officia de jure præstanda, *Vult. c. 7. num. 21.* Si tamen Vasallus ad requisitionem Domini trinam (neque enim hic peremtoria loco trinæ est ut aliàs *l. 72. ff. de judic.*) obsequium & fidelitatem non præstiterit, Dominus eum investire non tenetur, *§. 1. 2. F. 24. Vult. c. 7. num. 21. Borch. c. 7. p. 1. num. 29. Amplißl. Dn. Præs. d. disp. feud. 5. th. 24.*

III.

*In Investitura actu occurrit Voluntas Domini,* a) *rem in Feudum concedentis voce,* b) *vel signis,* c) *declarata coram Pari-*

*bus Curiæ* d) *quoad haberi possunt: his deficientibus* e) *etiam Extraneis:* f) *tum fidei* g) *quæ à Vasallo Domino præstari debet,* h) *promissio.*

*a)* Potest vel ipse Dominus Investituram facere, vel per Procuratorem, *§. sed utrum 2.F.3. §. item investituram 2.F.58.*

*b)* Uti dicat Dominus coram paribus Curiæ se investituram facere, puta; Vade in possessionem feudi & tene illam pro feudo 2.*F.*33. Licet enim quis in fundum inducatur non factis ad illum verbis, investitus hautquaquam intelligitur, *argum. l. nunquam* 31. *ff. de acquir. R. Don.* Sed neque tunc Investitura perfecta est, cum quis Domino jubente (non coram paribus) possessionem feudi nanciscatur, 1.*F.*25.

*c)* Quæ in Majoribus tantum Feudis ex necessitate, in Minoribus ex arbitrio contrahentium adhibentur, *Vult. c.* 7. *num.* 41. *vers. hinc exist.* Signa illa varia sunt, corporea tamen esse necesse est, 2.*F.*2. ut hasta, annulus, gladius, vexillum, baculus, &c. Neque tamen si hæc porrigantur in re præsenti Abusivam faciunt Investituram, *Vult. c.* 7. *num.* 29.

*d)* 2.*F.*2. & 33. Dicuntur etiam Pares curtis §. 3. 1.*Feud.* 4. Pares domus 2.*F.*16. & Pares de domo 1.*F.*26. Suntque Convasalli qui ab eodem Domino Feudum tenent 1.*F.* 26. in eodem territorio, *Mynsing. cent.* 4. *obs.* 89. Quæ Testium adhibitio solennitas dicitur 2.*F.*32. Apprimè vero requiruntur Pares, adeò ut neque Brevi testato ab Extraneis subscripto (quod sufficere putat *Zasius p.6. num.3. de Feud.*) probatio facta possit sufficere, 2.*Feud.*32. *Vult. d. c.* 7. *num.* 22. *Borcholt. c.* 7. *p.* 1. *num.* 26. *Consultiss. Dn Præs. d. disput.* 5. *th.* 19. Hæc tamen distinctio Parium & Imparium in Investitura Clerici non attenditur, §. *in Clericorum,* 1. *F.*26. Nisi si quem de bonis suis patrimonialibus investiant, pariter enim & tunc pares sunt necessarii, *d. c. un.* 2.*F.*32. *Clariss. Dn. Præs. d. disp. th.* 21.

*e)* Quod

*e)* Quod accidit vel cum Dominus alios Vasallos non habet, *2. F. 1. &* §. *quod autem 2. F.33. &* §.*quod autem 2.F.*58.vel cum habet sed illi absunt, & tunc expectandi, si scilic. mox venturi sunt, *Borcholt.d.c.7.num.*26.eorumque copia haberi potest, *Ampliß. Dn. Præs. d.disput.th.*20.vel adesse nequeant justis causis impediti, *Niell.disput.4.th.3.lit. C.* vel quia venire nolint, quo casu mulcta indicta vocandi sunt *argum. l. 1. ff. si quis jus dic.non obt. Vult.ex Schenck Bar. c.7.num.27.*

*f)* Modò sint liberæ conditionis aliàsque idonei, & quos notiores habere potest Dominus, 2.*F.* 58. Numerus etiam duorum sufficere potest, §.*si quis* 1.*F.*26.*&* 2.*F.*2.*&* 58.§.1.*in fin.l.ubi numerus* 12.*ff.de testib.*

*g)* Cum Feudum à fide & fidelitate nomen acceperit 2. *F.* 3. facta Investitura meritò Domino fidelitas præstatur seu promittitur 2. *F.* 7. *in fin.* Quæ promissio regulariter fit juramento corporali interveniente, *Wesenbec.c.8.num.*28. Nisi illud pacto remittatur, 2.*F.*3.*in fin.*aut tale sit Feudum, ut pro hoc fidelitas non sit præstanda, §.*est & alia* 2.*F.*24. 2. *F.* 40. Juramentum autem non intelligo Domesticitatis, aut subjectionis, quorum facit mentionem *c. un. in fin.* 2. *F.* 5. sed illud quod Vasallus Domino ratione Feudi jurat, *d. c. un. 2. Feud.7.& cæteris.*

Forma Juramenti proponitur in U.F. triplex: 2. *F.* 5.6.7. Et hæc in se continet capita, incolume, tutum, honestum, utile, facile, possibile *d. c. un.*2.*F.*6. Est tamen hæc forma Feudi non Ligii. Quando enim jurat Vasallus fidelem se futurum contra omnem hominem. 2. *F.* 7. non se obstringit ad auxiliũ Domino ferendum in bello contra Cæsarem aut Regem moto, *d. c. un.* Non contra Dominum antiquiorem §.*fin.*2.*F.*28. Non contra Patriam *Alvarot.ad c.un. 2. F.2.* Omnes enim omnium charitates una Patria complexa est *Cicer.1.Offic.*& simul ac Vasallus nascitur, Patriæ fidelitatem debet *l.2.ff.de Just.& Jur.* atque sic hujus respectu non contra seipsum, eò quod in generali sermone persona loquentis non contineatur; nec videtur consensisse in hæc quæ sunt contra seipsum *Gothofr. ad l. Paulus 29.* §.*fin.ff. de pi-*

*de pignor.* Quin moderamine Inculpatæ Tutelæ justè utetur contra Dominum, *Niell. disput. 7. th. l. c.* Quamvis contra Patrem fratrem, filium, rectè Dominum defendat Vasallus, *d. § fin. 2. F. 28. Clar. Dn. Præs. & F. 5. th. 29. Vult. c. 10. num. 33.*

Adjuvabit vero Dominum in bello justo, id est, justam causam & Imperatoris consensum habente. Non ergo si sit injustum, *argum. l. 1. ff. de off. ejus cui mand.* Nisi quoad defensionem *Borcholt. c. 7. num. 45. Niell. dissint. 7. th. 3.* Quid si in ambiguo sit bellum esse justum vel injustum? Etiam *c. un. in pr. 2. Feud. 28.*

Defendet autem Vasallus Domini vitam *2. F. 7.* honorem, quæ vitæ comparatur *l. justa causa ff. de manum. vindic.* bona, quæ sanguini vitæque hominis assimilantur *Cicer. 5. Verrin.* pariaque videantur insidiari vitæ & bonis *Auth. quod mater. C. de Revocand. donat.*

A juramento vero hoc immunis est Infans & Impubes donec fiat doli capax *§. si minori & §. seq. 2. F. 26.*

Neque dubium nobis est quin Juramentum istud semper Investituram sequatur *expresso textu 2. F. 4. & 7. Vult. c. 7. num. 41.*

*b)* Idque præstabit vel ipse, vel Procurator ejus speciale ad id Mandatum habens *2. F. 3. §. personam & 2. Feud. 58. §. 2. vers. item investitura.* Nisi sit Tutor cujus officium pro Mandato est *Vult. d. c. 7. num. 32. & 34.*

IV.

*Accidunt acceduntq́ Investuræ, Modus, quod illa fiat vel purè,* a) *vel sub conditione & in diem:* b) *tum pacta,* c) *Scriptura,* d) *Interpretatio,* e) *Probatio,* f) *&c.*

*a)* Quando Dominus Vasallum simpliciter sine ulla mentione diei vel conditionis investit, & qua facta protinus Feudum constituitur.

*b)* Quam

*b)* Quam possibilem esse necesse est: Impossibilis enim vel naturâ §. *si impossibilis* 10. *I. de inutil. stip.* vel lege §. *quod turpi* 23. *l. d. t.* contractum vitiat. Sicuti autem Investitura purè de re aliena facta non valet 1. *F.* 9. ita valet sub conditione cum nostra facta fuerit, *d. c. un.* Hinc de Feudo nondum aperto, aperiendo tamen Dominus aliquem rectè investire potest, adeoque in Casum Mortis, 1. *F.* 9. 1. *F.* 27. 2. *F.* 26. §. *moribus*, *Borcholt. c.* 7. *num.* 18. *Vult. c.* 7. *numer.* 48. ubi nec viventis consensus eam ad rem requiritur, *d. §. moribus*. Valida porrò illa esse solet etiamsi possessor Vasallus liberos habeat, vel post factam hoc modo Investituram eos procreet: *Non obstante c. un.* 1. *F.* 9. *neq. d. §. moribus*. Quid si Investitus in Casum mortis Vasallum possessorem morte sua antevertat? Tunc jus Investituræ ad heredes defuncti transmittitur, 1. *F.* 9. §. 4. *in fin. Inst. de V. O. &* §. 23. *I. de inutil. stip.* Idem obtinet si Dominus investiés prius moriatur: heredes n. illius Investituram hanc tenere debent §. *item heredes* 2. *F.* 58. si scil. Investiens persona sit secularis: diversum namque statuit in Clerico *c. un.* 1. *F.* 3. *&* 1. *F.* 9. *& d. §. moribus* 2. *F.* 26. Nisi hoc modo Investitus vivente Clerico in possessionem Feudi consentiente possessore sit missus *d. c.* 1. *Feud.* 3. vel si cum consensu Capituli Investitura sit facta, *Borcholt. ex afflict. d. c.* 7. *num.* 6. Stat denique investitura in casum mortis Vasalli concepta etsi antequam is moriatur feudo privetur, & tunc cum is mortuus fuerit Feudum peti potest, *Vult. c.* 7. *num.* 52.

*c)* Id vel ex juris scripti determinatione indubitatum est. Pacta contra bonos mores, E. g. ut Feudum ob feloniam non revocetur, *Clariß. Dn. Præs. disp. feud.* 1. *th.* 41. ut Turpia præstentur Servitia *Niell disput.* 4. *th.* 5. ut Feudum pereat Vasallo ob ingratitudinem filii *Vult. d. c.* 7. *num.* 55. *vers. non tamen*; non modo non valere *l.* 28. *ff. de R. J. l.* 7. §. 16. *l.* 27. §. 4. *ff. de pact.* Verum etiam Contractum, adeoque hoc loco Investituram vitiare §. *si impossibilis Inst. de inutil. stipul. Vult. & ibi alleg. c.* 7. *num.* 55. Prout neque illa quæ contra substantialia sunt Feudi si addantur valent; puta ut Feudum constituatur in re mobili; ut fides

non præstetur à Vasallo: valent tamen circa, imò contra Naturalia *argu. eorum, quæ commentatur Bronchorst. ad l. nec ex prætorio 27. ff. de R. J.* sive Adminicula, ut vult *Vult. c. 7. num.* 55. Feudi facta, scil. ut fœmina succedat, frater fratri 2. *F.* 11. & de servitiis præstandis, alienatione, amissione Feudi &c. apposita: *Obert. 2. F. 24. in fin. Vult. d. num. 55. Clariß. Dn. Præs. disput. F. 1. th. 41 42. & seqq. Niell. disp. 4. th. 5.*

*d)* Neque enim videtur Scriptura esse de solennitate aut necessitate Investituræ *c. un. qui Testes sunt neceß. 2. feud. 32. Wesenb. c. 8. num. 31. Gœdd. disp. feud. 3. th. 23* Nisi id peculiariter sit actum, ut in Scripturam redigeretur, *l. contractus 17. C. de fid. instrum. Vult. c. 7. num. 42.*

*e)* Feudi obscuri interpretatio petenda primò omnium ex mente hominis, quæ ex verbis Investituræ commodissime eruitur, *l. 34. ff. de Reg. Jur.* Si verba sint obscuriora recurritur ad mentem legis. Hæc vero ex consuetudine primo speciali ejus loci ubi controversia agitur patescit, *l. 37. ff. de LL. & d. l. 34. de R. J.* Tunc si Regionis mos non appareat ex communi consuetudine FF. decisio petatur: qua nondum apparente semper pró Vasallo contra Dominum pronunciabitur, *l. veteribus ff. de pact. l. 172. de R. J. Wesenbec. in Tr. de F. c. 7. num. 24. Vult. d. c. 7. num. 56.*

*f)* Probatio Investituræ fit vel publico instrumento: vel per Pares Curiæ 2. *F.* 2. & his deficientibus, extraneos, 2. *F.* 33. Neque hic continuò reus, non probante actore absolvitur, ut fit de jure Civili, *l. qui accusare C. de edendo.* Quin defertur tum Reo Defensio, Purgatio dicta quæ fit per Sacramentum cum 12. Sacramentalibus, id est, conjuratoribus, 1. *Feud.* 4. §. 2. *in fin.* 2. *F.* 2. & 33. quæ datur Reo ut vel ipse juret, vel juramentum referat *alleg. loc. & l. jusjuran. 34. §. 7. l. 38. ff. de jurejur.* Non tamen defensio semper possidenti datur, sed quandoque petenti, quandoque neutri, §. *Sacramentum, & §. fin. 2. F. 33.* Arbitrarium itaque hoc totum esse & judici committendum notat *Gothofr. ad d. c. 2. F. 33. lit. C. l. 85. §. ult. ff. de R. J.*

*Vete-*

V.

*Veteris Feudi Renovationem* a) *per investituram Vasallus* b) *casu*, c) *ita ferente à Domino*, d) *intra annum & diem*, e) *necessario* f) *petet*, g) *capietq;* h) *coram testibus etiam extraneis.* i)

*a)* Quæ est confirmatio & redintegratio Investituræ primitùs factæ *gloss.ad c.un. 2.F.3.* & quidem eadem formâ & modo, *2.F.34.§.similiter, Gædd.disp.feud.3.th.25.* Prima enim Investitura est radix & fundamentum omnium subsequentium, *Bald ad c.un.2.feud.17.Dn.Gothofr.Anton.Praeceptor & hospes olim venerandus disp.8.th.9. Vult.c.7.num.*105.

*b)* Cujuscunque sit sexus conditionis aut status *latè Dn. Gothofr Anton.d.disp.th.3.l.c.* sive unus sit seu plures heredes Vasalli: nec refert. Vasallus pater jurasset pro se & suis heredibus, *Dn.Gothofr.Anton.disp.7 th.2.lit.B.* Et si plures sint relicti heredes Vasalli omnes & singuli Investituram petere & jurare debent, *§.omnes filij 2.F.26.* Etiam tum cum partes communiter pro indiverso habent, *§.Præterea Ducatus 2.F.55.* Nisi 1. ex se unum deligant qui omnium nomine juret, *Alvarot.ad §. omnes filij 2.F.26.* 2. Nisi ad unum Feudum ex divisione perveniat, *Borcholt c.7.num.33.* simul ac semel omnes petant nec ne parum interest, *Vult. c.7.lib.1.num.92.*

*c)* Mutato scil. Domino vel Vasallo per Mortem *1.F.22.* aliove casu ut Refutatione, venditione, &c. *argum.c.un. 2.F 34. & 38.* Non ergo tenetur Vasallus jurare filio Domini sui eo in vivis existente *2.F.40.1.F. 22.* Nisi postquam filio jus suum cessit Dominus Vasallum à juramento sibi dato relevet, *Vultej. ibid.* Et consequenter neque filius Vasalli patre suo vivente *alleg. text.*

*d)* *2.F.24.* Et quidem si plures sint subalterni à proximo *argum.§.illud quoq; 2.F.55.* Quid si Dominus plures reliquerit

heredes Feudum pro indiviso tenentes? Ab uno omnium nomine eam petet, §. *praterea Ducat.* 2. *F* 55. *l.*56. *in fin. ff. de condit. & demonstr.* Unus verò ille prævio respectu Eminentiæ, ætatis indolis, autoritatis, *argum. l. ult. ff. de fid. instrum. l.* 77. §. 21. *ff. de leg.* 2. *l.* 5. *ff. de jure immunit.* ab ipsis Domini heredibus, singulariter, ut unum ex se constituant à Vasallo requisitis, eligendus est. Quibus non convenientibus Vasallo demum ipsi unum eligere fac esto, *Bodin.* 1. *de Rep. Vult. c.* 7. *num.* 94. Petet porrò Renovationem Investituræ Vasallus à Domino, cujusque is sit ætatis seu Tutorem habeate seu non, modò actum rei intelligat, *Vult. d. c. num.* 62.

*e) c. un. in pr.* 2. *F.* 24. *&* 55. §. *Præterea,* quæ communis est tēporis definitio, & derogatur illi per *c. un.* 1. *F.* 22. favore id militum operante *Amplißim. Dn. Præs. disput. F.* 5. *th.* 24. *Dn. Gothofr. Anton. disp.* 8. *th.* 3. Quod sanè tempus Dominus pro libitu coarctare aut immutare nequit, *Borcholt. c.* 7. *num.* 36. *l.* 74. *&* 186. *ff. de R. J.* Nisi etiam consentiat Vasallus *Schneidw. p.* 5. *num.* 56. *Vult. c.* 7. *num.* 62. Hoc quoque pacto prorogari illud posse dicemus, *Vult. d. c. num.* 63.

*f)* Sub pœna amissionis Feudi 1. *F.* 22. 2. *F.* 24. 2. *F.* 40. *&* §. *præterea* 2. *F.* 55. Nec expectabit Vasallus donec à Domino requiratur (ut in Feudo Novo §. 1. 2. *Feud.* 24.) *l.* 12 *C. de contrah. & comm. stipul. l.* 2. *C. de jure Emphyt.* Quæ vero de Necessitate renovandæ Investituræ diximus, limitantur respectu temporis in Impubere, qui donec talis est petere eam non tenetur, 1. *F.* 22. *&* §. *si quis decesser* 2. *F.* 26. *&* §. *si quis* 2. *F.* 55. licet Tutorem habeat, *d.* §. *si quis deces.* Secus est in pubere Minore cui tempus quidem hoc currit, succurritur tamen ei per beneficium Restitutionis in integrum *Schneidw. p.* 5. *num.* 30. Non etiam Majori nisi ex aliis justis causis 1. *F.* 22. *&* §. *ult.* 2. *F.* 52. *& alibi: recensitis, de quibus copiosè Vult. Gædd. D. Gothofr. Ant. Niell. &c.*

*g)* Vel per se, vel per Procuratorem suum, §. *sed utrum* 2. *F.* 3. §. *item sciendum* 2. *F.* 58. dummodo loco, tempore, modo justo debitoque *Dn. Gothofr. Anton. d. disp.* 8. *th.* 8. *Vult. c.* 7. *num.* 102. *& ibi alleg.*

*h)* à Do-

h) à Domino qui ad facendam investituram obligatur, nisi etiam Feudi proprietate multari velit, *argum. §. Domino 2. F. 26. 2. F. 47.* i) *2. F. 32.*

VI.

*Præsumtam deniq; eam statuimus, quæ Præscriptioni* a) *innititur, cum quis rem immobilem triginta annis* b) *tanquam Feudum,* c) *bona fide,* d) *in possessione habuit, servitium* e) *Domino debitum exhibendo.*

a) Quæ modus quoque est acquirendi, & non exceptio tantum, ut statuit *Vultej. Jur. Rom. lib. 1. cap. 71 Borcholt. cap. 7. p. 3. num. 3.*

b) *§. si quis per triginta 2. F. 26.* scil. continuos, & non interruptos *Gothofr. ad d. §. lit. O.* quod notat particula Per *Vult. c. 9. num. 10. & 13.* Non igitur sufficiunt anni decem vel viginti: non quidem propterea, quod Præscriptio Rerum Feudalium durior sit quam Allodialium, ut vult *Borcholt. c. 7. p. 3. nu. 5.* sed ob nudum Longobardorum placitum, tanti temporis spacium sufficere credentium, quo vel semel Dominus rationem eorum suarum iniret, *Consult. ßim. & Clariß. Dn. Præs. disp. 5. th. 30.* Tempus autem illud currit in Feudis Secularibus, non etiam in Rebus Ecclesiæ, ad quarum Præscript: quadraginta anni requiruntur, *Auth. quas act. C. de SS. Eccles. Novell. 111. & 131. Amplißim. Dn. Præs. d. disp. 5. th. 31.* Neque in Regalibus, quæ nonnisi immemoriali tempore præscribi tradunt *Dd. ad c. un. quæ sint Regal. & Vult. c. 9. num. 21.*

c) *d. §. si quis, 2. F. 26. ibi:* ut Feudum. secus itaque est si possedit Feudum jure Pignoris, quæ possessio ipsi nihil proficiet *Borch. c. 7. p. 3. num. 6.*

d) Quæ etsi communiter de jure Civil. in tali præscri-

ptione non requiratur, *l.3. & l.seq.C.de præscript.30.vel 40.ann.* intervenire tamen debet ex dispositione juris Feudalis 2. F. 37. *Amp.Dn.Præses disp.5.th.12.* nec non ex æquitate Canonum *c. vigilanti c.fin.X de Præscript.* Non tamen Titulus, alias quoque in Præscript. longissimi temporis à jure Civil. requisitus *l. un. C. de Usucap.transf.* Hic namque possessio pro titulo est *d. §. si quis. Vult.c.9.num.14.*

*e) d.§.si quis, 2.F.26.* Ex cujus verbis duo eliciunt Dd. 1. toto illo tempore etiam unum Servitium exhibitum satis esse, *Borch.d.c.num.7. & alij hic.* 2. Quod si exhibuerit saltem Servitium Vasallus sufficiat ad præscript. *Hotoman. ad §. si quis,* Quorum prius secundum literam, hoc etiam sano sensu acceptamus.

VII.

*Sic priore exacto secundum videamus acquirendi Feudi modum, Successionem a) puta, ubi Personas ad eam habiles b) vel minus c) considerabimus: quæ est vel Legitima d) vel certis casibus Testamentaria. e) Illa vel Descendentium, vel Collateralium. f)*

*a)* Qua hodie non minus quam Investiturâ Feudum nobis acquiritur *2.F.11. 2.F.33.* Olim nulla in Feudis obtinuit, illis precario obvenientibus *1. F. 1.* Imò & hodie nulla est in Feudis Guardiæ, Gastaldiæ aut Soldatæ *2.F.10.in fin.*

*b)* Quales sunt Masculi *2.F.11.& 50.* Agnati, non Cognati *§.hoc autem 3.1.F.1.& 2.F.11.vers.ad Cognatos.*

*c)* Ad Servitia præstanda minus habiles, quales sunt fœminæ, Clerici imperfecti, &c. *de quibus th.10. & 11.*

*d)* Quæ etiam ab intestato dici potest secundum ea quæ

notat

notat *Gædd.ad l.64.de V. S. Niell.disput.5.th.1.l.c.* Estque regularis & Ordinaria, sola propriè in Feud. locum habens, *Vult. c. 9. num. 69.*

*e)* Absolutè enim & regulariter hujus nullus est in jure Feud. usus, utpote in quo nulla Testamentaria permittitur Ordinatio, *1.F.8. 2.F.9.§.donare, 1.F.55.* Ne quidem inter liberos. *Dd.in c.un.1.F.8.Vult.lib.1.c.9.num.79.Borcholt.c.7.p.2.nu.5.* Neque si Feudum Vasallus leget heres ad æstimationem ejus tenetur *Amplis. Dn. Præses disp.feud.6.th.4.* adeò ut nec Principis autoritate confirmatum Testamentum si in præjudicium aliorum vergat valere queat *l. 4. C. de Emanc. lib. Clarissim.Dn. Præs. d.disp.th.7.* Casus vero illi à Dd. præcipui numerantur hi I. Si Feudum sit merè hereditarium *2.F.48.* Ubi namque alienatio, ibidem heredis institutio permittetur, *l. si quis 8. §. cæteris C.de secundis Nupt. Borcholt.d.num. 5. Vult. d.c.num.74.* II. Si Vasallo, & quibus ille dederit concedatur feudum *2. Feud.48. Amplis.Præses d.disput.th.6.* III. Si consensu eorum quorum interest Testamentum sit factum, *Dn. Gothofr. Anton. disput.5. th.8 lit.C.* imò & ratum id habentibus *ex l.fin.C.de SCto Mac.Amplis.Præs.d.disput.th.7.* IV. Si id fieri alicubi permittat consuetudo *argum.l.32.ff.de LL Rittersh.c.12. n.6.* V. His tamen feudum Francum non adnumeramus, quod etsi à servitiis immune sit in cæteris tamen naturam feudi retinet *arg.c. un.2. Feud. 48.*

*f)* Hos tantum jus FF. admittit. Ascendentium enim de hoc jure nulla est successio *2. F. 50.* Nisi aliud in prima Investitura actum sit, *Niell.disput.6.thes.1.* Tum nî Pater Feudum filii nomine refutavit ut filius investiretur: Denique, nisi filius occasione bene meritorum patris investitus sine herede masculo decesserit: Tunc namque ad patrem Feudum pertinebit *Amplissim. Præs. disput. feud. 6. th. 10.& 11. Gædd.disput. 7.thes.2.*

Prima

*Prima* a) *in Successione Feudali* b) *causa est Liberorum* c) *ex Matrimonio* d) *justo* e) *procreatorum; qui omnes communiter admittuntur*, f) *servata tamen graduum prærogativa.* g)

*a)* 2.*F*.1.*in pr*,id quod nostrum hoc jus cum Civili commune habet §.1 *Inst.de her,quæ ab intest.*

*b)* Tam Novi quàm Veteris Feudi *Schneidw. p. 6. de success.descend.num.7.Niell.disp.5.th.2.*

*c)* Quo Nominis complexu, præterquam quod Fœminas hinc jura FF.arceant, *c.un.F.*11.§.*hoc notandum* 1.*F*.1. omnes filii,nepotes,reliquique hinc descendentes continentur, *l. liberorum ff.de V.S.*Neq; hic attendimus nati jam an sint nasciturі, *l.7.& l.26.ff. de stat. homin.* ante vel post patris mortem nati *Schneidw.p.7.cap.5.num.*14.verè nati an ex utero exsecti, *l.*12.*ff. de lib.& posthum.*in potestate sint an emancipati *Auth. cessante C.de legit.hered. Novell.*118.*c.*1. præteriti sint an exheredati: idque justè vel injustè nil refert: Nisi Feudum sit hereditarium, *argum.c.un* 1.*F*.8 *Borcholt.d.c.7.num.*61.*Vult.c.9.num.*96.Sunt tamen etiam Casus, quibus ne filii quidem succedunt; ut ecce 1. Cum Matrimonium ad Morganaticum est contractum §.*filij* 2.*F*.26.ubi Negativè Feudo non succedunt, legendum est: lectionem hanc *c.un.*2.*F*.29. comprobante *Borcholt.c.7.p.2.num.*56. *& Gothofr.Anton.disput.feud.5.th.6.lit.C. Clariß.Dn.Præs. disput.* 6.*th.*26. 2. Cum parentes grave aliquod delictum commiserunt,ut pœna ad liberos quoque extendatur *Borch. d. c.num.*57. 3. Si filius adhuc vivo patre feloniam commisit §. *insuper* 2.*F*. 55. 4. Non succedit filius in Feudo à Patre non justa forma acquisito 1.*F*.25.

*d)* Non ergo Adoptivi, qui de jure FF. à successione, utpote quæ sanguinis sit contemplatione removentur §. *adoptivus*

*rus*, 2.*Feud.*26.*& ibi Gothofr.* Nisi ex pacto,& consuetudine, *Schneidwin.p.*6.*de success.num.*13.*& num.*22.*vers.*4.*Vultej.c.*9. *num.*90.

*e)* A qua successione Adulterini,incestuosi (quibus ne alimenta quidem deberi textus est in *Auth.ex complexu C. de incest.& inutil.Nupt.)* quàm longissimè absunt. Quin nec Spurii, neque Naturales admittuntur §.*naturæ lex* 2. *F*, 26. Quid si legitimati fuerint? Siquidem per oblationem Curiæ soli patri post oblationem Feudum acquirenti, non etiam Agnatis in Feudo succedunt, *Borch.c.7.p.2.nu.* 53. Per Rescriptum Principis tum si nominatim ad Feuda sint legitimati: ne tamen etiam tum sine justa causa Agnatis fiat præjudicium, benignius statuimus cum *Vult.c.9.num.*93. Circa Legitimatos per subsequens Matrimonium ardua est utrinque Dd.pugna. Nos sanè Theoreticæ concedentes veritati in Negativam declinaremus, nisi nos ipsius Praxeos cum ratione Canonum revocaret authoritas, *Mynsing.* 5.*obs.*42. *Ampl.Dn.Præs.disp.feud.6.th* 25.

*f)* §. *& quia in fin.* 1. *F.* 1. *&* 1.*F.*8. *in pr.* Aliud obtinet in Feudo Regali 2.*F.*55.ad cujus successionem tantum admittitur Primogenitus, *Aurea Bulla Caroli IV.Annno* 1356.*Norib.* nobis dictus etiam is, qui ante adeptum à patre Regnum, &c. natus est, *Niell.disp.*3.*th.*2.Hodie rursum Feuda Regalia Regno & Electoratu exceptis dividi cousueverunt, *Borch.c.7.p.2.num.*42. *Gœdd. disp.feud.7.th.*5.

*g)* Ut *scil.*primi gradus liberi jure proprio adeoque in Capita: Ulterioris,jure Repræsentationis sicque in stirpes succedant 1.*F.*8.

IX.

*Cessante Successione lineæ Descendentis, ad Collaterales* a) *devolvitur Feudum, & primò quidem ad Fratres* b) *defuncti.*

*rentes liberos* c) *quorum illi in Capita, hi verò in stirpes* d)*; vel si soli sint in capita quoq; succedunt.* e) *His porro deficientibus omnes reliqui Agnati* f) *graduum itidem proximitatis* g) *ratione habita, in infinitum viriles habebunt portiones.*

*a)* Seu Transversales rectè quidem ita dicti quod inter se ex latere veniant, aliàs respectu primi Acquirentis, cujus intuitu omnis Feudalis fit successio, pro Descendentibus non injuriâ habentur, *Dd. in c. un.* 1. *F.* 8. *Vult. c.* 9. *num.* 102. *Gadd. disp. feud.* 7. *th.* 9. Collaterales verò intellige non primi acquirentis, adeoque in Feudo Novo, §. *cum vero* 1. *F.* 1. *&* 2. *F.* 11. *&* 12. Nisi certis Casibus *in d. c.* & alibi positis: puta I. Si pacto id ut frater succedat, actum sit, *d. c.* 2. *F.* 12. *&* 1. *F.* 14. §. *si duo &* 1. *Feud.* 20. II. Si Feudum sit communi pecunia utriusque aut unius, utriusque tamen fratris nomine, sciente Domino acquisitum, *d. c.* 1. *F.* 20. Si enim ignorante, fructus tantum Feudi communes habituri, 2. *F.* 12. III. Si Fratribus in bello simul cum Domino adversus hostes militantibus Feudum concessum sit. Et qui sunt alii à Dd. passim numerati. Regulariter itaque hic intelligendi Collaterales in Feudo Veteri, 2. *F.* 11. *&* 45. *Ampl. Dn. Præs. disput. feud.* 6. *th.* 28.

*b)* 2. *F.* 11. *vers. his vero.* Sive Germani sint seu consanguinei, utpote cum hic jus Agnationis spectetur, quod consanguineos habere nemo negaverit. Atque in hoc puncto jus Novellarum à jure nostro diversum est, ut patet ex *Novell.* 118. *c.* 3. *Vult. c.* 9. *num.* 108. Aliud statuendum videtur in Feudo merè hereditario, in quo adinstar allodialium fit successio *Dn. Gothofr. Anton. disput.* 5. *th.* 7. *lit. D.* Tum quoque in Uterinis aliud quàm in Consanguineis obtinet, qui ut Agnationis jure non gaudent, ita nec successione Feudali 2. *F.* 11. etiam in Feudo fœminę ex defuncti

fratris linea paterna proveniente, secundum ea quæ *ex Rosenthal. affert Dn. Gothofr. Anton. d. disp.* non etiam quæ occasione matris vel maternæ lineæ obveniunt, in quibus Consanguineos excludunt *argum. c. un. §. hoc autem 1. F. 1. & 2. F. 11. vers. ad filios Rittersh. c. 16. num. 5. Gædd. disp. 7. th. 9. lit. C.*

*c) 2. F.* 11. ibi, fratris cum fratrum, *Novell.* 118. *c.* 3. Etiam in Feudo ex pacto & providentia, in quo fratrem filium fratris excludere quidam statuunt, sed malè, propter *text. alleg. 2. Feud.* 11. quem de Feudo hujusmodi loqui nil dubitat *Niell. disput. 6. th. 3. lit. B.*

*d) Auth. cessante C. de legit. hered. Novell.* 118. *§. hujusmodi verò Nov.* 127. *c.* 1. *in fin. Vult. & ibi alleg. d. c. 9. num.* 109. *Borcholt. d. c. 7. num.* 81.

*e)* Quod quidem mirè controversum apud Interpp. & in Allodialibus determinavit hoc pacto *Carol. V. Const. Spirensi Anno* 1529. idque non injuriâ secundum præscriptum *Oberti 2. F.* 1. ad Feuda quoque trahitur *Borch. ex Zasio d. c. num.* 82. *Vult. d. c. 9. num.* 11. *Niell. disp. 6. th. 3. lit. C. Clar. Dn. Præs. disp. feud. 6. th.* 30. *Treutler. volum. 2. disp.* 16. *th. 5. lit. B.* Quin cum soli sunt fratrum liberi præferuntur defuncti patruo, *Auth. post fratres C. de legit. hered.*

*f) 2. F.* 11. *&* 50. *in fin. Auth. post fratres C. de legit. her. Nov.* 118. *c.* 3. *in fin. Vult. d. c. num.* 112. *Borch. d. c. num.* 84. *Niell. disp. 6. th. 3. Treutl. volum. 2. disp. 16. th. 5. lit. G.*

*g)* Proximior is est quem gradu nemo antecedit *l. 1. §. proximus ff. unde cognati l. 92. ff. de V. S.* Quam nos proximitatem respectu lineę in successionis progressu ex ultimo defuncto metimur, *Vult. d. c. n.* 112. *Borch. d. c. num.* 84. *Clar. Dn. Præs. disp. feud. 6. th.* 31. Ab hac juris F. communis dispositione recedit jus F. Saxon. quo Agnati simultaneè investiti remotiores cum propioribus sine ullo gradus discrimine secundum numerum perso-

th.1.lit.E.affert argumenta: quibus accedit *Clariß. Dn. Praeſ. d. diſp.th.34.Vult.d.c.num.*113.

X.

*Perſonæ ad ſucceßionem Feudi inhabiles ſunt vel ob ſexum, vel ob adjunctum aliquod aliud. Ille à ſucceßione arcet fœminas* a) *niſi ut illæ admittantur conſuetudine ſit receptum,* b) *aut ejus ſit qualitatis* c) *Feudum, ut fœminæ ſuccedant, deniq; ſi Feudum eſt ex pacto.* d) *Quin & in his non aliter ipſis locum damus, quam maſculis deficientibus.* e) *Fœminis accenſemus Hermaphroditum, in fœmineum ſexum incaleſcentem.* f)

*a)* 1.F.1.§.*hoc autem* 1.F.8.§.*fin*.2.F.11.§.*filias*, 2.F.50.& 51. §.*ſimiliter*. Idq́ue propter honeſtatem *l*.1.§.5.*ff.de poſtul.* Servitia Militaria §.*item qui* 2.*F*.24. Conſilii fragilitatem & voti inconſtantiam *l*.4.*C.de ſponſalib.* Secreti retinendi difficultatem, quæ tamen à Vaſallo cum multis aliis requiritur 2. *Feud.* 7. maximè, cum Vaſallus inter Pares judicare debeat.2.*F*.16.& 46. Fœmina ab his ut & aliis officiis publicis abſtinere debet *l.* 2.*ff. de R. Jur.* cumq́ue Inveſtitura coram paribus fieri debeat, ut ſupra dictum, fœminæ teſtes eſſe prohibentur etiam in Feudo veteri, 2. *F*.32. Neque ſucceſſerit fœmina in Feudo Emptitio *Dn. Gothofr. Anton.diſp.*6.*th*.1.*lit.f.Vult.d.c.*9.*num*.44. *Ampl. Dn Præſ.diſput. feud.*6.*th*.16.*Borch.c.*7.*num*.65. Multo minus in Ligio *Clariß. Dn. Præſ.d.diſp.th.* 17. Neque tunc Fœminæ admittuntur cum Feudum conceſſum eſt, pro ſe & heredibus quibuscunque, eò quod fœminæ ſpecialiter vocari debeant 1.*F*.1.§.3. Quod uſque eò verum

rum est ut neque armis assuetas admittamus propter *l.4.&5.de LL.Vult.d.c.num.*33. imò nec filios ex fœmina exclusa natos, *2.F.11.vers.ad filiar.& 1.Feud.1.§.hoc sciendum, propter l.nemo,& l.* 143.*ff.de R.J.*

*b)* Cum enim Feuda per Consuetudinem introducta sunt, debent etiam Consuetudine regulari, *Clariß. Dn. Præses d. disp.th.14. Vult.d.c.num.48. Gœdd.disp.7.th.11.lit.d. Borcholt.c.7.p.2.num.64.*

*c)* Qualia sunt: 1. Feudum Fœmineum propriissimè dictum, quod sc. fœminæ primitus concessum est 2.*F.*50. Neque hic requiritur speciale pactum. Quod enim per naturam inest speciali pacto non eget, *Vult.d.c.num.*40. 2. Francum 2.*F.*104. *Vult.d.c.num.41.Borch.c.7.num.68.Clar.Dn. Arumæus disp. 6. th.* 18. Cessante enim principali causa cessat ejus dispositio, *Vult.d. num.* 3 In Feudo ad certum servitium dato cui fœmina honestè expediundo par est & habilis, *d.c.un.2.F.104.Borch.c.7.nu.68.*

*d) Textibus supra lit.a.quibus adde 1.F.14.2.F.2.§.3. 2.F.23. &c.* Et siquidem pactum illud generaliter est conceptum, ad omnes pertinebit fœminas 2. *F.* 17. Sin quædam specificè vocata, pactum hoc tanquam personale ultra non extēdetur, *l.* 27.§.4. *in fin.ff.de pact.l.68.ff.de R.J.* Si vero pro una filia fuerit datum, earumque plures extent? Domini erit electio, ne is invitus forte alium, quam quem voluerit cogatur habere Vasallum 2.*F.12. arg.§.antiquiß.1.F.1.& l.8.§.3.ff.de leg.1.*

*e)* Non igitur unà cum masculis ad successionis actum admittuntur licet Feudum eo tenore datum sit, ut utriusque sexus liberi masculi & fœminæ succederent, *§.filia 1.F.8.Consultiß.Dn.Præs.d.disp.th.12.Schneidw.p.6.num.14.Fach. 6. contr.* 42. Tum demum ergo admittuntur, cum masculi nulli supersunt *§.quin etiam 1.F.6.d.§.filia 1.F.8.2.F.17.2.F.31 §.fin.& 2.F.51.* Hinc mas existens etsi remotior, præfertur fœminæ gradu proximio-

quid de illa famosa in hoc jure quæst. (An fœmina per Præscu-lum semel exclusa in perpetuum censeatur esse exclusa?) statuendum sit, in pro patulo est. Negativæ nos subscribimus moti rationibus pro stabilimento ejus positis *à Clariss. & Consultiss. Dn. Præside disput. feud. 6. th. 13. Vultejo & ibi recensitis d. c. 9 numer. 51. & seqq.*

*f)* Ejus enim sexus æstimatur qui in eo prævalet, *l. 10. ff. de stat. homin.* Si igitur in sexu virili ea hujus sit perfectio, ut ad Servitia Militaria sit habilis, admittendum eum ad Feuda non dubitamus cum *Schradero de feud. p. 7. c. 5 num. 18.*

XI.

*Impedimentum successioni Feudali obstans ab Adjuncto est, vel status Clericalis,* a) *vel sanitas mentis* b) *æquè, atq; corporis,* c) *minus commoda.*

*a) 2. F. 30. in fin. 2. F 21.* ubi additur ratio, quod desierit esse Miles seculi, qui factus est miles Christi, quæ repetitur 109. §. *qui Clericus 2. F. 26. & 36.* Etiamsi Clericus esse desierit *d. c. 2 F. 30.* Nisi re adhuc integra, & antequam de successione quæstio mota sit, *Vult. & ibi Menoch. & Pistor. d. c. 9. num. 67.* Etiamsi per alium servire paratus sit; propter strictam allegatorum Textuum generalitatem: nec non quod sæpe Dominus servitia personalia à Vasallo requirat *Dn. Gothofr. Anton. disp. 6. th. 9. lit. c. Borch. c. 7. num. 62. Vult. d. c. num. 67. Niell. disput. 5. th. 5.* Admittitur tamen si aut pacto & consuetudine ipsi prospiciatur, aut, ut modo dictum, tempestiva pœnitentia ductus recedat, aut conditione Ordinis, Servitiorum, Feudivè non reclamante admittatur, de quibus *Vult. d. num. 67. & Gothofr. Anton. d. disput. th. 9.*

*b)* Puta furiosos, mente captos, qui per hanc miserabilem conditionem fini quem propter Feuda concessa sunt assequendo cum sint impares, à successione simul Feudorum repel-

luntur

luntur *argum.c.un.2.F.36.l.in omnibus ff.de R.J.l. 4.ff. de condict. sine causa.* Idque verum est in veteri Feudo, & ob vitium Naturale: diversum statuendum si illud sit Novum hocq; Accidentale *Vult.d.c.num.63. Borch.c.7.p.2.n.* 63. Prodigus etsi furioso assimiletur, *l.1.ff.de Curat.fur.l.12.§.ult.ff.de Tut. & Cur. dat.* nihilominus tamen, cum vitio hoc non obstante servitia, aliaque fidelitatis contenta præstare possit, successione prohiberi non debet, *Gædd.& ibi alleg.disp.7.th.*13.

*c)* Ut sunt muti, surdi, cœci, & aliàs imperfecti §.*fin.* 1. *F.* 6.& 2.*F.*26. Qui sc. exorbitanter tales sunt *d.§.fin.*& à natura hoc infecti vitio 2.*Feud.*36. Quod si enim ex accidenti fortuita quapiam calamitate eò miseriarum fuerint adacti; admitti eos æquius est, *Vult.d.c.num.*64.*Borch.c.7.num.*36. *Clar.Dn.Hunnius Præcept.item meus observandus,in tr.feud.c.*10. Idque planè pleneque determinat jus Saxon.*art.*4.*lib.*1. *Spec.Saxon.*

XII.

*Famosæ in hac successionum materia sunt controversiæ, quas Coronidis loco subjicere lubet; An scil. Agnatus vel filius possit retinere Feudum repudiata hereditate? cui distinctè respondebimus,* a) *uti & illi quando quæritur; An successor Vasallus exsolvere teneatur æs alienum à prædecessore suo conflatum?* b)

*a)* Proponitur illa in Rubro 2.*F.*45. ibidemq; in Nigro decisio ejus subjicitur. Distincta textus responsio hæc est, quod Agnatus possit, filius neutiquam. Quâ præsupposita quærunt

hereditarium, & ex pacto ac providentia, illud Agnatum simul cum repudiata hereditate amittere statuunt *Ampl. Dn. Præs. disput. F. 6. th. 33. Menoch. cons. 1. num. 316. Vult. d. c. num. 114. Gædd. disp. F. 7. th. 6.* Cum enim hoc Feudum ipsi cum qualitate hereditaria veniat, adeoque adinstar allodialium, non potest is hereditatem pro parte adire pro parte repudiare *l. 1. & 2. ff. de acquir. hered.* Secus est in Feudo ex pacto & provid. *d. c. un. 2. F. 45.* quod de tali Feudo loqui multis probat *Gædd. disp. F. 2. th. penult. Vult. d. num* 114. 2. Inter Feudum vetus & novum. Ut in illo Agnato facultas datur repudiare hereditatem hoc retento; ita in novo minimè; quin vel utrumque repudiare vel utrumque servare debebit, *Vult. ex Mozz. d. num.* 114. In filio neutra horum servatur differentia, quia is Feudum sive hereditarium (Erblehn) sive pactionatum (Stamlehn) hereditate repudiata neutiquam retinebit. Quia namque is per patrem beneficio afficitur *l. 10 § 1. ff. de bonis libert.* intersit autem memoriæ defunctorum ut habeant successores *§. 1. in fin. Inst. qui & ex quib. ca. l. 6. ff. de interrog. in jur.* ipsum utique lædere summæ esset & iniquitatis & impietatis *Clar. Dn. Præs. disp. F. 6. th. 33. Vult. c. 9. num.* 114. *Gædd. disp. F. 7. th. 6. Fach. 7. controv. 6. & ibi Cujac. in fin.*

*b)* Eodem ferè hæc evolvitur modo. Si Feudum sit hereditarium, solvet æs conflatum successor quivis. Neque filio in hoc quidquam profuerit Inventarii confectio *Gædd. ex Pistor. disp. F. 7. th. 7.* Dissent. *Rosenth. c. 7. concl. 20. num. 12. Rittersh. lib. 1. part. feud. c. 15. num. 17.* Sin ex pacto & provid. antiquum, non teneri, nisi filius sit, statuimus successorem *And. Gail. observ.* 154. *Gædd. d. l. Vult. c. 9. num.* 115. Ne quidem ex fructibus Feudalibus, nisi illis qui ultimo anno proveniunt juxta distinct. *c. un. 2. F. 28. & 45.*

*Atq; hæc de modis acquirendi Feudum dicta sufficiant.*

Soli sit gloria Christo.

